

095

093

099

089

104

084

144

044

194

Ende

Anfang

80

Die advesperascente inde recessimus, et ad quendam magnum  
fluvium venimus, in cuius litore per unam Venetorum custo-  
diam transivimus, et deinde in villam, quae Ower nominatur,  
venimus ad pernoctandum, quod et fecimus. Porro hospitium  
nostrum, sicut et tota villa ad radices cujusdam montis delec-  
tabilis et graminosi situm erat. Et dum coena parabatur  
transivi cum Dominis in curia domus, et suspiciens dixi: ecce,  
si quis in supercilio illius montis esset, mare magnum videre  
posset. Hoc cum domini audivissent: ascendamus inquiunt,  
et videamus mare, forte nostrum futurum sepulchrum. Et statim  
tres Domini mei, et duo servi et ego montem ascendimus, qui  
erat multo altior, quam nobis apparuit. Et conjectis oculis  
contra meridianam plagam, extra montana in planitiem Italiae,  
et post planitiem mare mediterraneum vidimus: in cuius aspectu  
Domini mei, utpote juvenes et delicati, quodammodo conterriti  
stabant, et pericula futura cum mari contemplabantur. Et de  
facto ego ipse in ejus aspectu quodam metu concussus fui,  
quanquam suas amaritudines bene gustassem. Habuit enim sic  
de monte contemplatum satis horridum aspectum. Videbatur  
quod esset in propinquuo et sol serotinus partem ejus illustrabat  
anteriorem; reliquum, cuius finem videre nemo potest, videbatur  
esse nebula elevata, crassa, atra, aërei coloris nigrescentis.  
Demum satiati hoc aspectu per montana in nostro circuitu  
respeximus et multa antiqua destructa castra vidimus. In  
monte etiam, ubi eramus, sub pedibus murorum magnorum  
ruinae et fossata per circuitum supra montem, et piscina pulchra  
**(31A)** adhuc aquam retinens ibi erat et pascualis mons fuit.  
Et creduntur illa castra omnia aedificata fuisse ab exercitu  
Antenoris Trojani: quia cum Baduanum urbem aedificasset  
in plano, ascenderunt in montana et oppida et castra aedifica-  
verunt contra transalpinos, qui erant homines adhuc silvestres,  
more bestiarum viventes. Interea dum de his cum Dominis  
meis loquerer in monte, occidit sol, et descendere incepimus;  
antequam autem in hospitium venimus, fuerunt tenebrae, et  
cum lumine cibum sumentes dormitum ivimus.

Vicessima quinta die erat festum S. Marci; optavimus  
nos esse Venetiis, quia hoc festum ibidem cam maximo apparatu  
et multa gloria peragitur. Audivimus tamen Missam de St.

